

III. Confessione sacramentale.

IV. Comunione sacramentale. Cost. *Bened. Deus*, § *Itaque*.

Circa le visite è d'avvertire, che debbono esser fatte da chi non ne sarà dispensato, a tutte le dette quattro chiese, almeno una volta il giorno, per quindici giorni continui, o interpolati, quale può computarsi, da una mezza notte all'altra, o dai vesperi del giorno precedente a tutti i vespertini crepuscoli del seguente. Detto § *Itaque*.

E quantunque non sia necessario per l'acquisto delle Indulgenze essere in grazia, e premettere la confessione sacramentale a dette visite, bastando, che l'ultima opera sia fatta in grazia, dovranno nulladimeno insinuare seriamente alli penitenti, che le facciano, o dopo una fruttuosa Confessione, o dopo un'atto di contrizione, acciocchè gli sieno meritorie. Costit. *Convocatis*, § 43. Lettera circolare a' penitenzieri, num. 75, e 76.

Debbono ancora essere fatte con intenzione di venerare Dio, ed onorare i suoi Santi, ed esercitarsi in atti di religione. Detta lettera circolare num. 11, e 76.

Circa l'orazione, è d'avvertire che basta la vocale, nè è necessaria la mentale, e facendosi questa, vi si deve aggiungere qualche orazione vocale. Cost. *Convocatis*, § 51.

La quale quantunque non sia determinata ne in qualità, ne in durazione, non deve però essere così breve, che dinoti poco affetto agli esercizi spirituali. Lett. circ. a' penitenzieri, num. 83.

Circa la confessione, è da notarsi, che dev'essere sacramentale, cioè de' peccati realmente, e non in voto, quatenus alcuno non fosse reo, che di peccati veniali. Cost. *Convocatis*, § 46, e detta lettera, num. 7.

Quale dovrà ripetersi nell'ultima opera ingiunta nel solo caso, che dopo fatte alcune delle visite in istato di grazia, taluno ricadesse in peccato mortale, senza obbligo però di ripetere le già fatte. Costit. *Convocatis*, § 45, 47.

Circa la Comunione finalmente, è da avvertirsi, che deve essere sacramentale insieme, e spirituale, cioè non sacrilega, nè è sufficiente la sola spirituale. Detta Costit., § 48, e lett. circ. a' penitenzieri, n. 2.

Eccettuata la visita delle chiese, e comunione sacramentale a' fanciulli di essa incapaci, non è concessa a' confessori facoltà alcuna di dispensare per qualunque motivo, o impedimento veruna delle altre opere ingiunte, cioè confessione, e comunione, ed orazione. Cost. *Bened. Deus*, potendosi queste separare dalle suddette visite. Detta lettera circolare, num. 53.

In caso poi, che qualche penitente si fosse confessato con animo di conseguire il Giubileo, e di adempire l'opere ingiunte per conseguirlo, e fosse stato assoluto da' casi riservati, e censure, ed avesse ottenuta commutazione de' voti, e dispensa, come sopra, poi penitito, non avesse adempite le dette opere quantunque appena potess'essere esente dal reato di colpa, non lo condannino però li

confessori come restato il predetto innodato dalle censure dalle quali è stato prosciolto, nè privo della grazia delle commutazioni, e dispense ottenute. Costit. *Bened. Deus*, § *Ceterum*; Costit. *Convocatis*, § 54. Lett. circ. a' penitenzieri, n. 86.

Che è quanto, ec.

Data in Roma, fuori della Porta Celimontana, li 26 marzo 1731.

PIER. LUIGI, VESCOVO D'ALBANO,  
CARD. CARAFA.

*Paragraphi aliquot ex constit. Benedicti XIV, incipiente Pastor bonus, quæ est 95, tom. I Bullarii ejusdem.*

« § XI. Principes porro, et alios jus imperii etiam vicario nomine habentes, ac dominia, et republicas, seu personas illorum, et illarum administrationem habentes, vel habere solitas, necnon episcopos, et alios superiores, prælatos, in casibus publicis, qui in præfatis litteris die Cœnæ Domini legi consuetis, continentur, etiamsi Romanus Pontifex propter infirmitatem vel aliam causam ita fuisset impeditus, ut celeriter consuli non posset, absolvere, et absolvi mandare nullatenus valeat.

« § XII. Minusque possit, etiam in occultis, etiam in foro conscientie tantum, absolvere vel absolvi mandare S. R. E. cardinales, aut alios cujuscunque qualitatis, status, gradus, conditionis, dignitatis et præminentie fuerint, qui vivente Romano Pontifice, de alio quopiam in ejus locum post ipsius mortem eligendo, vel excludendo tractaverint, suffragia inierint, ambitusve, aut pactiones fecerint, vel Sede Apostolica vacante, in censuras seu penas in litteris felic. record. Gregorii PP. XV et Urbani VIII, prædecessorum nostrorum, super electione Romani Pontificis pro tempore faciendæ, xvii kal. septembris anno Incarnationis Dominicæ MDCXXXI, et v kal. februarii anno ejusdem Incarnationis MDCCXXV, respective emanatis, contentas quomodolibet inciderint; præterquam si absolvi peterent, Sede Apostolica adhuc vacante; tunc enim absolvi poterunt modo inferius præscribendo, pro tempore vacantis ejusdem sedis.

« § XIII. Nec pariter possit, etiam in occultis, etiam in foro conscientie tantum, eos, cujuscunque qualitatis, status, dignitatis, præminentie, et conditionis fuerint, absolvere et absolvi mandare, qui astrologia judiciaria, vel per se, vel per alios, de statu reipublicæ Christianæ, sive de vita aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis inquirentes, ejusdem Urbani VIII, Pont. Max. litteris pridie kal. aprilis anno ejusdem Incarnationis MDCXXXI, contra prædicta perpetrantes, editis, contraverint.

« § XIV. Nec similiter valeat in casibus publicis, etiam in judicium non deductis, violatæ immunitatis seu libertatis ecclesiasticæ, ullatenus absolvere, seu absolvi mandare.

« § XXVI. Accipientes munera a regula-

ribus, exceptis rerum medicinalium, seu devotionis muneribus ultra valorem decem scutorum monetæ contra præscriptum a Prædecessoribus nostris Clemente VIII, in suis constitutionibus xiii kal. Julii anni MDXCIV et xvi kal. novembris anni MDCXL, respective editis, non absolvat, nisi facta restitutione; vel, si eam de præsentibus nequeant adimplere, cum obligatione eandem, quam primum poterunt, faciendi. Qui vero infra prædictum valorem ejusmodi munera acceperint, eos, injuncta arbitrio ipsius majoris penitentiarii, seu confessarii per eum eligendi, eleemosyna, quæ in be-

neficio religionis seu conventus, cui de jure faciendæ esset restitutio, si caute fieri possit, erogetur, absolvere, seu absolvi mandare possit.

« § XXXVIII. In casibus vero publicis clausuræ a monialibus prædictis, vel ab aliis quibuscunque personis, ad malum finem violatæ, delinquentes non absolvat, nec absolvi mandet, nisi pro ipsis episcopi, seu ordinarii supplicaverint, et casus ad congregationem S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum, et regularium præpositam deducti non fuerint. »

#### JUDEUS.

Vide verb. HEBRÆUS.

#### JUDAICA PROPOSITIO.

Vide verb. PROPOSITIONES DAMNATÆ num. 27.

#### JUDAS ISCARIOTES.

ADDITAMENTA NOVA AUCTORIS.

Judas Iscariotes, unde sic dictus? Eusebius et sanctus Hieronymus ita vocatum volunt quod in vico Iscariot tribus Ephraim natus esset. Alii, quod esset ex tribu Issachar, et idecirco Issachariotes, nomine vero contractiori Iscariotes diceretur. Alii denique, quod a vico Cariot, ex tribu Juda nomen deduxerit; *Josue xv, 25. Iscariot* hebraice hominem ex Cariot sonat. Sic Calmet verb. *Judas de Iscariot*. Et a patria dictum esse Iscariotem tradit etiam S. Chrysostomus in sermone de prodicione Judæ: *Quid mihi, inquit, ejus patriam dicis? Utinam ipsum quoque nescire licuisset.* Unde errarunt Ubertinus et Rubisius, qui Judam somniarunt esse Picentem, illudque nomen illi inditum a Carotte Piceni oppidulo, sicuti et errarunt qui vel Gallum vel Germanum fuisse Judam dixerunt, sicut affirmat card. Lambertin. postea Bened. XIV, De Factis D. N. Jesu Christi, n. 207.

Argentei triginta a Juda accepti, equid valerent, varie tradunt auctores. Suarez enim iii par., tom. II, disput. 34, sect. 1, eos triginta argenteos putat fuisse triginta nummos argenteo cunos, qui vel siclum, vel sicli semissem conficerent. Alii quidem sicli valore expenso, initaque ratione ad nostra-

tem monetam, putant Redemptorem nostrum octodecim scutorum Romanorum pretio fuisse venditum. Sic Serry Exercit. 22; eminentiss. Gottus de verit. Religion. Christ. t. IV, part. II, capit. 24, § 1. Marcus vero Georgius Schwartz in Thesauro dissertationum in Nov. Testamen. Amstelodam., edito anno 1702, tom. II, pag. 210, diss. de pretio quo Salvator noster astimatus, § 26, commemoratis aliorum opinionibus, concludit triginta argenteos, quando venditus est pactione Judæ Christus Dominus, quinddecim taleros imperiales conficere. Sic apud cardin. Lambertin. deinde Benedict. XIV, De Factis D. N. Jesu Christi, nu. 229. Calmet in Dictionario, verb. *Judas de Iscariot*, sic tradit: *De prodendo Jesu cum eis convenit, modo sibi persolverent triginta siclos, nempe 48 libras et obolos 12, si pro quolibet siclo 32 obolos et 5 denarios supputemus.* Trinus Commentar. in Matth. capit. xxvi, num. 13, sic habet: *Nempe triginta argenteis siclis, seu triginta florenis Belgicis, vel 15 uncis argenti, ut alibi dixit: scilicet in prolegom. de ponderibus, verb. Siclus argenti: ibi Siclus argenti est semuncia argenti.... Quoties legitur argenteus sine adjuncto, subintelligitur siclus.*

#### JUDEX.

##### SUMMARIUM.

1. Judex unde dictus, et quid sit. Ad num. 2. —
3. Quid opus sit ut quis legitimus judex habeatur. —
4. An judex loci in quo delictum patratum est habeat jus cognitionis, etiamsi reus non sit subditus ipsius jurisdictioni. —
5. Judicium quot sint species, et quæ. Ad num. 12. —
15. Quid competat judici ecclesiastico, et quid laico seu seculari. Ad num. 25. —
24. An quis judicare possit in propria causa. Ad num. 28. —
29. Judex carere scientia, et male judicans, vel differens causarum expeditionem sine justa causa, ad quid teneatur. Ad num. 32. —
33. An judex possit munera unquam accipere, saltem le-

viora a partibus sponte oblata. Ad num. 41. —
- 42. An judex ecclesiasticus vel laicus possit unquam aliquid recipere vel exigere sportularum nomine, et quid sportularum nomine intelligatur. Ad num. 49. —
- 50. An quis possit judex esse in ea causa in qua prius fuit advocatus, et vice versa. Ad n. 51. —
- 52. An judex possit judicare secundum sententiam probabilem, relicta probabiliore; et quomodo se gerere debeat in æquali opinionum probabilitate. Ad num. 55. —
- 56. Quot et quæ sint theologorum sententiarum quoad judicandum juxta allegata et probata etiam contra propriam conscientiam. Ad num. 64. —
- 65. An possit judex juramentum exigere a reis criminaliter inquisitis, dum judicialiter uti principales exa-

minantur. — 66. Quid jure canonico statutum sit circa judices synodales. — 67. Subnectuntur a ldi-

(1. Judex sic dicitur quasi *Jus dicens populo*, sive quod jure disceptet, prout expresse habetur in c. *Justum est* 1, caus. 23, q. 2, et in c. *Forus* 10, de verbor. Significat. (2. Hinc definitur judex, quod sit persona auctoritate publica supremi principis creata ad finem justitiam faciendi singulis suis subditis juxta regulas legis et ordinem ab ea præscriptum. *Est in re communis*, arg. c. *In istis* 3, dist. 4, et cit. cap. *Justum est* et c. *Forus*. (3. Unde, ut vides, ad hoc ut quis sit legitimus judex non sufficit quod sit electus pro tali officio auctoritate supremi principis, sed insuper quod servet ordinem justitiæ in suis judiciis proferendis, quia, ut expresse dicitur in cit. cap. *Justum est* et c. *Forus*. *Jure autem disceptare est juste judicare; non est ergo judex, si non est in eo justitia*, et quod illi quos judicat, sint subditi illius jurisdictioni, et causa supra quam fert judicium sit materia sui tribunalis, aliter ejus sententia esset injusta, quia injuste sibi usurparet potestatem, quam non habet in non suos subditos, c. *Ea quæ* 26, de Regulis Juris in 6, ibi: *Ea quæ fiunt a judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt*. (4. Judex autem loci in quo est commissum delictum, habet jus cognitionis, quamvis reus aliunde non sit subditus ipsius jurisdictioni, arg. cap. *Ibi semper* 1, et cap. *Qui crimen* 13, caus. 3 quæst. 6, ubi expresse statuitur quod, *Ibi semper causa agatur ubi crimen admittitur*.

(5. Judex alius est ordinarius, et alius delegatus. Judex ordinarius est ille qui potestatem judicandi habet jure proprio seu ratione officii aut dignitatis suæ, ac eo ipso quod est talis, ut episcopus, præses provincie, ac hujusmodi, l. *More majorum*, et l. *Et quia*, ff. de Jurisdic. omnium judic. (6. Judex delegatus est qui non habet jurisdictionem vi proprii officii, sed eam exercet ex beneficio et commissione alterius cujus vice fungitur, l. 1, §. *Qui mandatum*, ff. de Officio ejus, cui mandata est Jurisd. et l. *Si Prætor*, ff. Eodem, et l. *Solet*, ff. de Jurisd. omnium judic. (7. De judice delegato, et de iis quæ ipsum concernunt, vide verb. *Delegare, Delgatus*, per tot.

(8. Judex alius dicitur a quo et alius ad quem. Judex a quo est judex inferior, a quo per appellationem fit transitus ad superiorem; judex ad quem est judex superior, ad quem a judice inferiori fit appellatio. (9. Et de iis quæ concernunt judicem a quo et ad quem, vide verb. *Appellatio* per tot.

(10. Judex alius dicitur *judex domicilii*, alius *judex delicti*; alius *judex contractus*, et alius *judex rei de qua contenditur*. (11. Et de iis quæ concernunt tales judices vide verb. *Forum* seu *Forus*, a num. 11 ad 30.

(12. Judex alius est ecclesiasticus, et alius laicus seu sæcularis. Judex ecclesiasticus est ille ad quem spectat cognitio et decisio causarum ecclesiasticarum et spiritualium. Ju-

ditiones ex aliena manu. Ad num. 76. Et addit. Casinenses n. 1 et seqq.

dex vero laicus seu sæcularis est ille ad quem spectat cognitio et decisio causarum laicalium et sæcularium. *Communis*, arg. cap. *Decernimus* 2, c. *Qualiter, et quando* 17, de Judiciis, c. *Nullus Judicium* 2, c. *Ex transmissa* 6; c. *Licet* 10, et c. *Ex tenore* 11, de foro competenti.

(13. Hinc judex laicus seu sæcularis nullimode potest cognoscere et judicare de causa ecclesiastica et spirituali, nec principaliter nec incidenter; cap. *Decernimus* 2; c. *Qualiter et quando*, 17 de Judiciis; c. *Nullus Judicium* 2, de foro competenti; cap. *Lator* 5, et c. *Causam quæ inter* 7, qui filii sint legitimi, et similibus; et *communis* doctorum. (14. Idque nec ex delegatione seu commissione episcopi aut alterius prælati Papa inferioris: *Communis* per jura adducta sub verb. *Delegare, Delegatus*, n. 34. (15. Imo judex laicus neque una simul cum clerico sibi per episcopum adjuncto potest cognoscere seu judicare de causa spirituali. Glossa in cap. *Contingit* 8, de arbitris, verb. *Spiritualibus*; Layman lib. III, tract. 6, c. 1, n. 2; Reiffenst. lib. II Decret. tit. 1, num. 70; Pirhing, 1 Decret. tit. 29, n. 34, ubi ex Abbate et Julio Claro dicit esse communem.

(16. Neque judex laicus, etiam ex delegatione episcopi, potest cognoscere et judicare de causa criminali clericorum: *Communis* per jura adducta sub dict. verb. *Delegare, Delegatus*, num. 36. (17. Quinimo probabilis neque etiam ex delegatione episcopi potest judex laicus cognoscere causas mere civiles, quæ contra ecclesias vel clericos intentantur. Vide dicta et adducta ad hoc sub dicto verb. *Delegare, Delegatus*, num. 36. (18. Est tamen probabilis etiam contraria sententia per dicta l. c. n. 38. (19. Et neque judex laicus potest cognoscere et judicare de causis connexis cum spiritualibus; tales enim causæ spiritualibus connexæ spectant ad solum judicem ecclesiasticum: Abbas in cap. *Quarto* 3, de Judiciis, n. 3; Barbosa ib. n. 3 et 4, et alii apud ipsos. Reiffenstuel lib. II Decretal. tit. 1, n. 72, et alii, et id desumitur ex cit. c. *Quarto*, ubi deducitur quod causa jurispatronatus, utpote conjuncta et connexa spiritualibus causis, non nisi ecclesiastico judicio valeat definiri. (20. Orta quæstione de competentia fori inter judicem ecclesiasticum et laicum, debet cognoscere ecclesiasticus; habetur expresse in c. *Si judex* 12, de Sentent. Excomm. in 6. Vide dicta sub verb. *Forum*, vel *Forus*, num. 8.

(21. Judex laicus neque potest supplere negligentiam judicis ecclesiastici, et proinde clerici ad sæculare forum trahi nequeunt, etiam data ipsorum prælatorum negligentia; sic habetur expresse decisum in c. *Qualiter et quando* 17, de Judiciis, et tenet *communis* doctorum, teste Reiffenstuel lib. I Decretal., tit. 10, num. 45, et sic tenuit Rota in una Oscen. Pœnitentiariæ 10 aprilis 1595, coram

D. Bianchetto, allegata a Farinacio part. IV, lib. I, consil. 68. (22. Econtra tamen judex ecclesiasticus potest supplere negligentiam judicis laici: sic habetur expresse decisum in cap. *Ex transmissa* 6, cap. *Licet* 10, et cap. *Ex tenore* 11, de Foro competenti, ubi judice sæculari negligente seu malitiose differente terminationem causæ, etiam feudalis, potest adiri judex ecclesiasticus ut debitum ei finem imponat. Et sic tenent Abbas, Sperellus, Barbosa, Baldus, Tuscus, Maranta, et alii communiter, cum Reiffenstuel loc. cit., n. 44. (23. Extra autem casum negligentie judicis sæcularis, judex ecclesiasticus nequit cognoscere et judicare de causis mere laicalibus; c. *Licet* 10, et c. *Ex tenore*, 11, de foro competenti, cum concordantiis.

(24. Regulariter nemo potest esse judex in propria causa; l. unic. Cod., *Ne quis in sua causa judicet*. (25. Limitatur tamen hæc conclusio, primo in supremis judicibus qui non recognoscunt superiorem in terris, ut Papa, Imperator, Rex, et hujusmodi. Isti enim cum superiori non recognoscant, nec nullo jure cogantur se submittere judici inferiori, ideo possunt esse judices in propria causa: Bartolus in cit. l. unic., *Ne quis in sua causa judicet*, id probans ex l. *Et hoc Titius*, ff. de hæred. instituend., ubi Titius Tiberius in propria causa sententiam dixisse legitur; et sic tenet Glossa in cap. *Cum venissent* 12, de Judiciis; Abbas ib., num. 6; card. Tuschus litt. I, conclus. 403, n. 1 et seqq. et alii passim. (26. Consultius vero est quod nec ipsi supremi principes judicent in causis propriis inter ipsos et suos subditos exortis, sed has alii dijudicandas committant, arg. cap. *Nos si incompetenter* 40, caus. 2, quæst. 7, cap. *Innotuit* 1, de maleficiis, ubi Papa injuriosa verba in se prolata non per se ipsum punit, sed ea ad terrorem aliorum compescenda committit cuiquam inferiori, ut clare patet ex textu, et concordat textus in l. 1 et 2 Cod. *si adversum fiscum*, ubi imperator in causa fiscali dat procuratores, et sic consulunt Glossa, et Bartolus loc. cit., Antonellus de Regimine Ecclesie, lib. VI, cap. 13, § 3, n. 12, et alii passim, et sic solet esse praxis fere omnium piorum principum.

(27. Limitatur secundo in notoria injuria judici vel Prælati irrogata, quia is, non obstante quod talis causa videatur esse sua propria, potest imponere penam a jure taxatam, quia tunc procederet ut merus executor: Abbas in cap. *Cum venissent* 12, de Judiciis, num. 9; Pirhing lib. II Decretal. tit. 1, num. 75; Reiffenst. ibid., num. 207, et alii passim. (28. Secus vero ubi pœna venit imponenda arbitrio judicis, quia tunc non procederet ut merus executor, sed ut judex; et cum in tali casu ob affectum propriæ causæ facile posset in arbitrando excedere modum, ideo posset uti suspectus recusari; arg. cap. *Quod suspecti* 15, caus. 3, q. 5; ac notat Archidiaconus ib., n. 7; Joan. Andr. in cap. *Cum speciali*, de appellat. num. 10; Abbas, Pirhing, Reiffenst. loc. c., et alii.

(29. Judex carens debita scientia, et ex culpabili ignorantia male judicans, peccat mortaliter, et tenetur ad restitutionem totius damni causati parti læsæ, sive in substantia litis, sive in superfluis expensis: *communis*, teste cardin. de Lugo tom. II, disp. 37, n. 1. (30. Judex agnoscens errorem a se (quamvis sine gravi culpa) commissum in præjudicium litigantis, tenetur, si potest citra suam infamiam, impedire errorem, monendo verbi gratia occulte partem læsam ut sibi appellatione, vel alio simili remedio consulat, quia hoc pertinet ad debitam sui muneris executionem, et quia alioquin, si, dum potest, non impedit suum errorem, imputabitur jam ei quasi conservanti id quod propter inadvertentiam inculpabilem prius non imputabatur. Lugo loc. citat., num. 3, de testibus cogendis. (31. Judex carens necessaria scientia ad suum officium non potest absolvi, nisi facta renuntiatione officii, vel nisi firme proponat renuntiare, quia nemo potest retinere officium cujus munia obire non potest, nisi cum damno vel periculo proximi. S. Thomas, 2-2, quæst. 76, art. 2; Farinac., III part., quæst. 3, art. 16; Reginald lib. XXV, num. 675; Cajetanus, Navarrus, et alii passim. (32. Judex mortaliter peccat contra suum officium differendo valde notabiliter causarum expeditionem sine justa causa, et tenetur restituere parti læsæ damna et expensas quæ ex iniqua dilatione secutæ sunt, quia est earum injusta causa: Silvester verb. *Judex*, q. 12; Clavis Regia lib. XII, c. 12, num. 8; Navarr. Bonacina, et alii communiter.

(33. Judex tenetur abstinere a receptione munerum, tum jure divino, tum jure humano. Jure divino est expresse prohibita judicibus munerum acceptio. *Exod. XXIII*, ibi: *Non accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, et subvertunt verba justorum*. *Deuter. XVI*, ibi: *Non accipias personam, nec munera, quia munera excæcant oculos judicum*. *Eccles. XX*, ibi: *Xenia et dona excæcant oculos judicum*. Et *Is. I*, acriter reprehenduntur judices diligentes munera, ibi: *Principes tui infideles, socii surum, omnes diligunt munera, sequuntur retributionem*; et similiter *Michæ III*, ibi: *Principes ejus in muneribus judicabant, et sacerdotes in mercede docebant, et propheta ejus in pecunia divina bant*; et alii sæpe consimiliter. Econtra vero commendatur judex munera respiciens. *Isa. 3*, ibi: *Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitat*; et *Samuel I Reg. XII*, commendat se populo dicens: *Si de manu cujuspiam munus accepi*, et *psalm. XIV*, commendatur *qui munera super innocentem non accepit*, et alibi sæpe consimiliter. (34. Jure humano est expresse prohibita judicibus munerum acceptio in l. *Plebiscito*, ff. de offic. Præsid.; leg. *Solet*, ff. de offic. Proconsulis; authentic. *Novo jure*, cod. de pœna Judic.; authentic. de Judicibus, § *Nullus quoque*, et § sequenti; auth. *Ut judices sine quocunque suffragio fiant*; l. 1, cod. Ad l. *Juliam repetundarum*, et alibi sæpe, in quibus et munera prohibentur et pœnæ statuuntur.

Juri civili concordat jus canonicum, in cap. *Judices*, 23, et c. *Jubemus* 126, caus. 1, q. 1; c. *Non sane* 15, caus. 14, q. 5; cap. *Cum ab omni* 10, de vita et honest. clericor.; cap. *Statutum* 11, de Rescriptis in 6, § *Insuper*; cap. *Romana* 1, de censibus in 6, § *Procuraciones*, et cap. *Exejit* 2, eod. in 6, et alibi sæpe.

(35. Judex contra supradictas prohibitiones accipiens notabilia munera, peccat graviter, et tenetur ad restitutionem; sic habetur expresse in l. 3 et sequent., ff. ad leg. *Juliam repetundarum*; et l. *Jubemus*, cod. eodem, et c. *Statutum* 11, de rescriptis in 6, § *Si aliquid autem*, ubi statuitur quod nec remissio dantis liberat judicem delegatum ab obligatione restituendi munus acceptum, ibi: « Si quid autem contra constitutionem præsentem recipit, ad ipsius restitutionem integram teneatur. Nulla eorum quibus restituitio facienda fuerit remissione ullatenus profutura eidem. » Et hanc restituendi obligationem optime novit Samuel propheta I *Reg.* xii, ubi aperto ore dicebat ad populum: *Loquimini de me... Si de manucujuspium munus accepi, et contemniam illud hodie, restituumque vobis*: Et talem restituendi obligationem jam indicaverat Isaias cap. i, ubi appellat judices diligentes munera, socios furum, ibi: *Socii furum, omnes diligunt munera*. Fures autem non possunt obtinere remissionem peccati furti, nisi restituant ablatum: c. *Peccatum* 4, de Regul. Jur. in 6, ibi: *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum*. Unde in c. *Qui recte* 66, caus. 41, q. 3, expresse dicitur: « Qui recte judicat, et præmium inde remunerationis expectat, fraudem in Deum perpetrat, quia justitiam, quam gratis impertiri debuit, acceptione pecuniæ vendit, » etc.

(36. An autem talis restituitio sit pro foro conscientie facienda ante sententiam condemnatoriam, seu declaratoriam delicti, variant doctores. Molina enim, Vasquez, Lessius, Fagundez, Villalobos, Dicastil., Diana apud Moyam t. I, tract. 6, d. 4, q. 3, a num. 5; Haunold. cum La Croix lib. iv, num. 1502, et alii, cum card. de Lugo, tom. III, disp. 37, n. 134, docent non teneri ad restitutionem ante sententiam condemnatoriam, seu saltem declaratoriam delicti. Silvester vero, Medina, Corduba, Sotus, Vega, et alii, apud Molinam, tom. I, tract. 2, disp. 83, et apud card. de Lugo tom. I, tract. 2, disp. 37, num. 133, sustinent teneri ad restitutionem etiam ante sententiam supradictam. (37. In hac autem doctorum varietate hoc pro certo tenendum est, quod ea quæ ad redimendam vexationem, aut sententiam injustam, aut aliter involuntarie data sunt, debent a judice restitui ante omnem sententiam, quia invitis dominis sunt accepta, et ideo non est translatum dominium; et idem est si judices per legem alicubi expresse reddantur inhabiles ad acquirendum munerum receptorum dominium, uti notant omnes cum Sanchez, et La Croix l. c., n. 1602; Rosign. de rest. 11, disp. 1, § 4, n. 22.

(38. Et hanc inhabilitatem in judicibus ad acquirendum munerum receptorum dominium videntur statuere jura in l. *Plebiscito*, ff. de offic. præsidis et l. *Solent*, § fin., de offic. Proconsul., et cap. *Statutum* 11, de Rescriptis in 6, § *Si quid autem*, ubi statuitur quod si judex delegatus aliquid recipiat, teneatur ad restitutionem, non obstante remissione ejus qui dedit; ut patet ex verbis præcis allatis supra n. 35. (39. Nec ex consuetudine possunt judices illa acquirere et retinere, ut colligitur ex cap. *Cum ab omni* 10, de vita et honest. clericorum; et expresse dicitur in ejus summario per verba infra adducenda sub n. 42; Lessius l. ii, de justitia et jure, cap. 14, dub. 9, num. 72, in fine; Rosignol. de Restitutione 11, disp. 1, § 4, n. 22, et alii. Et ratio est, quia ad hoc, ut valeat præscriptio, requiritur ut præscribens sit capax possessionis civilis suo nomine, cap. *Si diligenti*, de præscription., nec etenim sine possessione stare potest præscriptio. Tales autem judices nequeunt possidere, cum ipso jure reddantur inhabiles et incapaces ad acquirendum munerum receptorum dominium. (40. Ubi vero jura non reddantur inhabiles ad acquirendum tale dominium, stante consuetudine legitime præscripta, sciente superiore et non contradicente, possunt judices sæculares sponte oblata juste recipere, ut ex nullis solide probat Rosignol, loc. c. 20, et alii.

(41. Potest tamen judex recipere a partibus sponte oblata leviora munuscula, pro quibus non est periculum quod pervertatur seu corrumpatur ipsius judicium, quia in istis cessat ratio prohibitionis, et cessante ratione seu causa prohibitionis, cessat ipsa prohibitio seu lex prohibens: l. *Adigere*, § 1, ff. de jure patronat. Hinc c. *Statutum* 11, de Rescriptis in 6, § *Insuper*, permittitur judici recipere esculentum vel poculentum, quod paucis diebus consumi possit, ibi: « Nisi forsan, esculentum vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus: » et concordat jus civile in l. *Solent*, § 3, ff. de offic. Proconsulis, ubi licet Proconsul prohibeatur accipere dona et munera notabilia, non tamen dona et xenia exigua. Vide verb. *Xenia*, num. 11.

(42. Judex ecclesiasticus, sive ordinarius, sive delegatus, nihil recipere potest sportularum nomine; c. *Cum ab omni* 10, de vita et honest. clericor., ibi: « Nos attendentes, quod ad hoc vobis et aliis clericis sint ecclesiastici redditus deputati, ut ex ipsis honeste vivere debeatis... ideoque mandamus quatenus ab hujusmodi exactionibus de cetero abstinentes, vigorem judicium gratis studeatis litigantibus impartiri. Et in ejus summario sic expresse dicitur: Ecclesiastici judices et delegati gratis judicare debent, nec exigere possunt decimam, vel aliam quotam litis, etiamsi hoc habeat consuetudo; » et sic tenent Abbas ib., n. 9; Engel. lib. i Decretal., tit. 32, n. 12; Reiffenstuel ib., n. 19, et alii. Et de judice delegato habetur etiam expresse in c. *Statutum* 11, § *Insuper*, et § *Assessorem*, de Rescriptis in 6, ubi § *Si quid*

autem, subjungitur teneri judicem ad integram restitutionem muneris recepti, non obstante remissione ei facta a dante; et concordat c. *Exigit* § final. de censibus in 6, et Clement. *Nolentes*, § *Quod si secus*, de Hæreticis; ubi pariter liberalis remissio dantis non eximit recipientem ab obligatione restitutionis.

(43. Judex laicus delegatus potest exigere sportularum nomine certam quotam pecuniæ, videlicet duos aureos a principio, et alios duos aureos in fine litis ab utraque parte litigantium præstandos, dummodo summa pro qua litigatur centum aureos excedat. Ita habetur in Authent. de Judicibus, § *Ne autem*, collat. 6. (44. Judex autem laicus ordinarius nequit aliquid recipere sportularum nomine, quia is jam aliunde habet salarium sibi a principe vel republica constitutum; sic expresse evincitur ex l. *Plebiscito*, ff. de Offic. præsid., et leg. *Solent*, ff. de Offic. proconsulis. Et notat Glossa in l. iii cod. de condic. ob turp. caus., et l. 1 cod. de pœnis judic.; et tenent Engel. l. i Decretal., tit. 32, num. 12; Reiffenst. ib. n. 18: Silvester verb. *Judex* 1, n. 13, q. 8; Rosignol. loc. c. n. 3; Molina tom. I, de justitia disp. 83, citans plures alios, Lugo tom. I, disp. 37, n. 123, qui testatur de communi, et dicit quod judex habens sibi assignatum certum et determinatum stipendium pro suis actionibus, jam debet illas ex justitia, et per consequens non potest aliud pretium pro illis accipere, et si recipiat, eum injuste illud recipiat, debet restituere.

(45. Si autem judex sive ordinarius, sive delegatus, sive ecclesiasticus, sive sæcularis, non habeat sibi assignatum stipendium, nec congruam sustentationem, poterit pro judiciis sibi commissis exigere sportulas seu honoraria. Apostolus enim I ad Corinth. cap. ix, n. 7, dicit: *Quis militat suis stipendiis unquam?* et ibid. n. 13, subjungit: *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, et qui altari deseruiunt cum altari participant?* et Matth. x, n. 10, dicitur: *Dignus enim est operarius cibo suo*. Luca x, n. 7: *Dignus est enim operarius mercede sua*. Deuteronomii xxv, n. 4, habetur: *Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas*, et hæc omnia allegantur ab Apostolo I ad Timoth., cap. v, n. 18. ibi: *Dicit enim Scriptura: « Non alligabis os bovis trituranti. Et dignus est operarius mercede sua, »* et concordant cap. *Cum secundum* 19, de Præbend. ibi: « Cum secundum Apostolum, qui altari servit vivere debeat de altari, et qui ad onus eligitur non debeat repelli a mercede, » etc.; cap. *Charitatem* 45, caus. 12, qu. 2, ibi: « Justum namque est ut illi consequantur stipendium qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium » cum similibus. Et sic tenent Layman lib. iii, tract. 4, n. 9; La Croix lib. iv, n. 1503; Lugo l. c., n. 223; Haunold, Rosignolus, et alii.

(46. Sportulæ sunt quædam vasa in quibus aliquid reponi ac deferri solet, et præcipue apud antiquos erant capsæ pecuniæ conden-

dæ causa paratæ; ac consuetudo tulit ut sportulæ pro ipsa pecunia usurpentur. Ea enim pecunia sportula dici cœpit a sporta seu sportella, receptaculo majoris summæ pecuniarum. Unde pecuniæ illæ quæ judicibus vel viatoribus, id est exsecutoribus litium ac negotiorum pro salario dabantur, sportulæ sunt appellatæ. Calvin. in magno Lexico Juridico verb. *Sportula*; ubi adducit ad hoc Rubr. de sportulis, variasque alias leges. Hinc quantum ad præsens, sportularum nomine intelliguntur salaria seu honoraria judicibus pro causis judicialibus in certa quota pecuniæ a partibus litigantibus præstanda, prout habetur ex Rubrica l. iv, tit. 2, Cod. de sportulis et sumptibus in diversis judiciis faciendis.

(47. Jure naturæ illicitum est judici ob munus acceptum postponere cum damno causas eorum qui diutius expectarunt, et citius expedire deberent: *certa et communis*, cum card. de Lugo loc. c., num. 125; Haunold. num. 58; La Croix loc. c., n. 1500. (48. Non est autem jure naturæ illicitum judici propter munus acceptum prius expedire unam causam quam aliam, quando illæ causæ æque cito expediri debent, et in arbitrio ipsius est prius expedire quam vult, quia per hoc non facit aliis injuriam, et aliunde in gratiam remunerationis suscipit novam obligationem prius expediendi ejus causam; quæ obligatio, cum sit utilis remuneratori, videtur pretio æstimabilis. Diana part. iii, tract. 5, resol. 45; Rosign. de Restitutione 11, disquis. 1, § 4, n. 8, quibus videntur consentire Layman lib. iii, sect. 5, tract. 4, cap. 4, n. 9; La Croix loc. c., n. 1500, et alii. (49. Qui tamen merito dicunt cavendum esse ne præpropera hæc expeditio causæ propter pecuniam sit conjuncta cum alterius injusto damno, quia cum motivo accelerationis causæ ob munus acceptum subingreditur etiam præsumptio favoris in meritis causæ. Unde quamvis talis acceptio munerum non sit illicita iudici de jure naturæ, videtur tamen esse ei illicita de jure positivo per jura adducta sub n. 33 et seq.

(50. Judex non potest quis esse in causa in qua fuit prius advocatus: l. *Eos in princip.*, Cod. de appellat., et l. *Prætor*, de juridic. omnium judic.; cap. *Nullus unquam* 1, et cap. *Nullus introducatur* 2, caus. 4, q. 4. Et ratio est quia ejus judicium haberetur suspectum et præsumptio staret contra ipsum ratione specialis affectionis quam haberet ad eam partem a se olim jam defensam, ut cum communi doctorum docet Sanchez lib. iii, consil., cap. unic., dub. 26; Bartolus in l. *Quisquis vult*, Cod. de Postulando; Reiffenst. lib. i, decr., tit. 37, n. 39. (51. Potest tamen e contra quis fieri advocatus in causa in qua fuit prius judex, quia tunc cessaret dicta suspicio et præsumptio. Nec ullum jus exstat prohibens eum a tali advocatia. *Communis*.

(52. Judex non potest judicare secundum sententiam minus probabilem, relicta probabiliore. *Communis ac certa*, propter se-